



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XII. De quinq[ue] famosioribus sanctis contra pestem Tutelaribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

pietia, nec adiuuandi voluntas, quia mater es misericordia.

Eia ergo aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, & funde preces ad Filium pro salute fidelium ô Maria flos Virginum.

C A P V T XII.

De quinque famosioribus Sanctis contra pestem Tutelaribus.

Q Vinque sunt præcipui, & per totam Ecclesiam miraculorum gloriâ, erectione altarium, & deuota populi veneratione famosissimi contra luem contagiosam Tutelares patroni; nempe, S. Antonius, S. Rochus, S. Sebastianus, S. Adrianus, & S. Christophorus, suntque nonnulli religiosi viri qui in implorandis eorum suffragijs hebdomadam integram ita distribuunt, vt die Dominica qui Deo sacer est & à quo omne principium, hanc vel similem Sanctissimæ Trinitati fundant orationem quam puer supernâ vi in sublime omnibus spectantibus raptus grassante Constantinopoli seua contagione angelico ministerio didicit, & Patriarchæ, Imperatori ac vniuersæ multitudini ad preces prostratæ retulit:

Ioannes
Darmasc.
l. 3. orthod.
c. 10.

Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nostri.

quod trisagion è cælo acceptum vniuersalis postmodum Ecclesia diuino suo officio inseruit; aut hanc si lubet:

Iesu Nazarene rex Iudeorû gloriosus titulus Crucis tue defendat nos ab omni malo, Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & immortalis miserere nobis. Pater noster. Ave Maria.

Collecta.

Oremus.

DEus qui non mortem sed pœnitentiam desideras peccatorum: populum tuum ad te reuertentem propitius

propitius respice, vt dum tibi deuotus existit, iracundiæ tuæ flagella ab eo clementer amoueas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Die Lunæ, seu, vt Christiano more loquar, feria 2. opem S. Antonij implorant hac oratiuncula:

Antoni pastor inclyte qui cruciatos reficis, morbos sanas & repente ignis calorem extinguis Pie Pater qui es in superis ora pro nobis Dominum vt cælum nobis miseris donet post vita terminum.

Verf. Ora pro nobis beate Antoni.

Resp. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

DEus qui concedis obtentu beati Antonij Confessoris tui morbidū ignem extingui & membris ægris refrigeria præstari: fac nos, quæsumus, ipsius meritis & precibus à gehennæ incendijs liberatos, integros mente & corpore tibi feliciter in gloria præsentari. Per Christum Dominum.

Feria 3. S. Rochum inuocant hac vel simili prece:

Aue Roche sanctissime nobili natus sanguine, Crucis signaris schemate sinistro tuo latere. Roche per egrè profectus pestiferos curas tactus, agros sanas mirificè tangendo salutiferè. Vale Roche angelica vocis citatus fame, qui potens es deificè à cunctis pestem pellere.

Verf. Ora pro nobis sancte Roche.

Resp. Vt mereamur præseruari à peste.

Oremus.

DEus qui es gloriosus in gloria Sanctorum, & cunctis ad eorū patrocinia cōfugientibus, suæ petitionis salutarem

M 2

tarem

tarem præstas effectum: cōcede plebi tuæ, vt intercedente beato Rocho Confessore tuo, quæ in eius cōmemoratione se deuotam exhibet, à languore epidimiæ quam in suo corpore pro tui nominis gloria passus est, sit libera & tuo nomini semper sit deuota. Per Christum Dominum.

Feria 4. Sanctum Sebastianum sub hac forma:

Omnia fidei sanctissime Sebastiane, felix Martyr per merita & intercessionem tuam quibus olim Longobardiam à morbo subitaneo liberasti; rogamus te vt Iesum Christum Dominum nostrum rogare & ipse digneris, vt nos per tuas orationes liberet à peste, morte subitanea, & ab omni aduersitate animæ & corporis; detq; nobis tale tempus viuendi & emendandi peccata nostra, vt post hoc exilium cum eo gaudere possimus in æternum.

Verf. Ora pro nobis sancte Sebastiane.

Resp. Vt liberemur à morbo subitaneo.

Oremus.

OMnipotens æterne Deus, qui propter merita & intercessionem S. Sebastiani martyris tui pestem ab hominibus fugasti: da nobis, vt qui in tuo nomine commemorationem eius agimus, per eundem à peste & ab omni tribulatione animæ & corporis liberemur. Per Christum Dominum,

Feria 5. S. Hadrianum.

Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus.

Verf. Ora pro nobis sancte Hadriane.

Resp. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt intercedente B. Hadriano martyre tuo, & à cunctis aduersitatibus liberemur

liberemur in corpore, & à prauis cogitationibus munde-
mur in mente. Per Christum Dominum,

Feria 6. S. Christophorum.

*Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor &
ego eum coram Patre meo.*

Verf. Gloria & honore coronasti eum Domine.

Resp. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Oremus,

BEati Christophori Martyris tui nos foueant conti-
nuata præsidia: quia non desinis propetius intueri
quos talibus auxilijs concesseris adiuuari. Per Christum
Dominum.

Sabbato, quod Beatissimæ Virgini Mariæ ex antiquis-
simo vsu Ecclesiæ sacrum est, speciali mentis deuotione
ad magnam illam morborum curatricem confugiunt, of-
ferentes eidem celebrem supra nominatam & relatam
Antiphonam, *Hæc est præclarum vas*, &c. cum Collecta ^{Cap. 11.}
ibidem subiecta. Porro (vt hoc obiter annotemus) putat
Card. Baron. monachorum & eremitarum Petri Damiani ^{anno 1059}
institutione primitus seruari cœptum fuisse quod modo
videmus vbique in Occidentali Ecclesia receptum; nem-
pe vt Sabbatum in honorem S. Dei Genitricis oblatio-
ne incruenti sacrificij Missæ sit consecratum, eundemque
Petrum primum authorem recitandi Sacri Officij Maria-
ni extitisse, vt illud in suo monasterio diceretur: ex quo
fonte manasse cognoscitur, vt illud ipsum toto Christiano
orbe Occidentalis Ecclesiæ non à monachis tantum &
clericis, sed etiam à laicis viris & mulieribus, quotidia-
nis pensis persoluatur, monente Urbano Papa in Concilio
Claremontano pro recuperatione Terræ Sanctæ congregato.
Quod Officium primò à S. Augustino fuisse composi-
tum quidam existimant, nixi his verbis Lancilotti in
vita eiusdem Sancti lib. 3. cap. 31. Præcipuo autem cultu

M 3

Dei.

Deipatam semper virginem est persecutus, in cuius laudem, Officium cum antiphonis & respōsorij composuisse memorant. ita ille. Quod an vniuersaliter, an verò tantum de particulari Officio in die natali eius sit intelligendum, alibi fortè tractabimus. Fuit insuper idem Petrus author vt feria secunda liberandis pœnis purgatorij animabus defunctorū sacrosancto Missarum sacrificio sit adscripta, sicut & feriam sextam pro memoria Dominicæ Passionis eodem sacrificio, & præter commune prius ieiunium etiam verberum afflictione spontaneè susceptâ (disciplinas corporales hodie vocamus, quarum mirificus propagator extitit) colendum suis indixit: quæ omnia ipsius institutione & sedulâ curâ in totam Ecclesiam postmodum dimanarunt. Cur verò magis Sabbatum quàm alius quispiam dies hebdomadarius cultui B. Virginis sit deputatus, audi quid de eo sentiat Ioannes Molanus Doctor Louaniensis, quem Illust. Card. Baronius tanti fecit vt liberè & verè confessus fuerit: Tanti viri de Ecclesia Dei & veritate Catholica optimè meriti nec breuem schedulam deperire æquam initer patior; ille inquam ita scribit: Maria mater Domini non numeratur ab aliquo Euangelistarum inter mulieres quæ ibant ad Christum vngendum, quare nec in picturis eis est adijcienda. sicut annotatum est in libro de Passione Domini apud Bernardum, vbi sic legitur: Maria quæ sola benedicta est in mulieribus, sola per istud triste Sabbatū stetit in fide, & saluata fuit Ecclesia in ipsa sola: propter quod aptissimè tota Ecclesia in laudem & gloriam eiusdem Virginis diem Sabbati per totius anni circulum celebrare consuevit. Verè & singulariter benedictus palmes qui à sua vite nullo potuit timore præcidi. Abcissi sunt viri qui dicunt: *Nos autē sperabamus quòd ipse redempturus esset Israel.* Abcissæ sunt mulieres quæ quamuis piè præueniunt mortuo humanitatis

Depi & u-
res c. 79.

præfat. in
Martyrol.
Rom.

Cap. 2.

nitatis officium exhibere, tamen illum resurrecturum nequaquam credebant, & fortasse propterea (quod tamen non asserendo dico ne videar nouas assertions introducere) illa Mater quæ plus habuit pietatis cum alijs ad vngendum non venit corpus Christi sepultum, quia frustrà putabat eum vngi quem resurrecturum sciebat. Ita ille; cuius verba libenter fusiùs vsurpo & ex occasione deinceps vsurpabo, quia semper rebus solidis grauida sunt & paucioribus benè nota, eò quòd ipsius opera antiquitus impressa, magno eruditorum omnium detrimento non denuò reimprimantur. Porrò licet Molanus ex S. Bernardo & cum eo Alexander Alensis, ac Ioannes de Turrecremata alijque, sentire videantur in passione Domini non mansisse veram fidem nisi in S. Virgine Maria, idque significari vna illa candela quæ sola accensa conseruatur in Ecclesia in triduo ante Pascha in officio nocturno; Bellarminus tamen putat nullatenus esse probabile Apostolos omnes tunc fidem amisisse. nam non leguntur, inquit, reprehèsi nisi de fide resurrectionis quam tunc amisisse non poterant, quia eam non habuerunt nisi postquam Dominus resurrexit. dictumque à Domino erat Petro: *Rogavi* Lucæ 22^o *pro te vt non deficiat fides tua.* Item Maria Magdalena summa charitate flagrabat toto illo triduo, vt patet Ioan. 19. & 20. at sine fide non potest esse charitas, adeoque non amiserat Magdalena fidem in Christum quam antea habuerat. Illud autem de candela pro leuissimo habet argumento: nam Rupertus Tuitiensis prope Coloniam Abbas dicit vltimam candelam tempore suo consueuisse etiam extinguì, & addit c. 28. illis tribus noctibus post omnia lumina extincta, iterum postea ex lapide nouum ignem accendi solitum; & quidem per omnia lumina quæ paulatim extinguiebantur, significari Prophetas quos diuersis sæculis Iudæi occiderunt, & illos occidentes sibi ipsis tenebras mentis.

3. part. q.
vlt. art. 2.
l. 1. de Ec.
cles. c. 30.
& li. 2. c. 6.

l. 3. de Ec.
cles. milit.
cap. 17.

Lib. 5. de
diu. offi.
cap. 26. c.

9. r. 2. prol.
in Matth.

mentis faciebant: per vltimam verò significari Christum quem cum occiderunt, sibi ipsis tenebras densissimas pepererunt. Per nouum autem lumen quod singulis illis tribus noctibus ex lapide excutiebat, significari nouum lumen Christianorum quod ex lapide Christo à Iudæis percusso in mentibus nostris ortum est. Quod si, inquit, neglectâ consuetudine antiquæ Ecclesiæ vim faciant in eo vsu qui nunc est vltimam candelam non extinguendi, potest cum Abulensi responderi per illam candelam significari B. Virginem, in qua sola, vt piè creditur, fuit in illo triduo fides explicita resurrectionis, quam alij explicitè credere non tenebantur nisi post legitimam eius promulgationem & probationem. hætenus ille, quæ occasionaliter pro clariori intellectu Ecclesiasticarum cærimoniarum dicta sunt.

C A P. XIV.

De Sancto Antonio Abbate.

Sigebertus
& ex eo
Baton.

Consuetudo inuocandi S. Antonium vt specialem patronum contra pestem, ex eo, vt opinor (neque enim Athanasius, ex quo Surius & Lippelo sua hauserunt, quidquam eius meminit) primam originem duxit, quòd cum anno 1089. pestilentialis lues in Gallia multum excreceret, ita vt quoscumque attingeret sacro igne siue consumeret, siue membris mutilatos deformes relinqueret ostentui, frequentiori concursu creuerit eiusdem ueneratio, in prouincia potissimum Viennensi quò eius corpus translatum Constantinopoli à Iocellino ex stirpe Comitum Pictauiensium oriundo, iussu Urbani Papæ ab eius filio Guidone apud Motam S. Desiderij fuerat collocatum, vbi